

§. 2. Athenæ, emporium illud bonarum literarum, Dædalum nostrum infantem viderunt, referente Pausania l. 7. c. Achaicis p. m. 403. Δαιδάλλε γένεσ τῆ Ἀθήνησιν ὑπῆρχεν εἶνα τῆ βασιλικῆ τῶν καλῶν Μητιονίδων: *Dædalus cum è regia stirpe, ejus gentis, qui Metionidæ sunt appellati, Athenis ortum duceret.* Etiam Lucianus eum vocat Ἀθηναῖον Atheniensem in libr. de Astrologia p. m. 989. Ausonius quidem & Tibullus eum Cretensem dicunt. Sic enim ille in Mosella edyll. X, 300. *Non hoc spernat opus Gortynius aliger, id est Dædalus, quem inter alios architectos locat. Gortynius vero dicitur pro Cretensi, quia Gortys vel Gortyn est Cretæ oppidum. Et idem in Technopægn. de histor. p. m. 486. Præpetibus pennis super aëra, vectus homo Cres: ubi iterum Dædalus intelligendus erit.* Tibullus autem lib. 4. 1. *etiam Phæbo gratisima, dona Cres tulit,* nimir. remigium alarum, de quo infra. Sed salva res est! Cretensis ab hisce autoribus salutatur, non quasi natiuitate talis fuerit, sed habitatione; postquam scil. exul patrium reliquit solum & ad tempus in Cteta commoratus, variisque operibus ibi inclaruit.

§. 3. Athenis igitur ortum habuit patre Palamaone, ut vult Pausanias lib. IX. seu Bæotic. p. 546. Vel si mavis audire Apollodorum, qui Dædalī originem altius deducit, scribens lib. 3. Bibliothec. p. m. 205. Δαιδάλλε ὁ Εὐπαλάμω πατρὸς τῆ Μηλιόνε καὶ Ἀλκίππης. *Dædalus filius Eupalami, qui Metionis & Alcippæ filius fuit.* Atque sic in regiam stirpem genus suum noster refert, ut ex loco Pausaniæ sub initium prioris paragraphi videre licuit. Confirmamur quoque ex Plutarchi Theseo, qui consobrinum appellat, p. m. 8. ὁ δὲ θεσπύς παραιτέμεν ἀνεψιὸν ὄντα Δαιδάλλον, Κακείνω καὶ γένε προσήκοντα μητρὸς ὄντι Μερόπης τῆς ἐρεχθίδεως. *Theseus excusans consobrinum suum esse Dædalum & sanguine junctum, cujus esset mater Erechthei filia Merope.* Qua ratione autem Diodorus & Scholiastes Sophoclis cum Pausania & Apollodoro conveniant, satis nondum video. Diodor. Sic. lib. 4. hist. p.